DISSERTATIO IVRIDICA,


DE

NOMINIBVS CESSIS,



GERMANIS:

Von allen rechtlichen Fällen, so bey Abtret- Anweis- und Annehmung der Schulden oder Güter, statt Bezahlung, zu entstehen pflegen.



QVAM

SVB PRAESIDIO

DN. PETRI THEODORICI,

ICTI CELEBERRIMI,

ET IN ACADEMIA IENENSI PROFESSORIS PVBLICI FAMIGERATISSIMI,


ERVDITORVM EXAMINI SVBIECIT

CHRISTIANVS LENTIVS,

DRESDENSIS.

DIE XXI. AVG. CIↃ IↃ C XIX.





IENAE,

REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1750.



I. N. D. N. I. C,

THES. I.



ESSIO, QVAE VOX EST πολύσημα, dicta est à verbo CEDERE.

Evolvendum est ante omnia Cessionis vocabulum. Usu enim vocis cognitio, sæpe in ipsius rei perceptionem provehimur, Scal. *exerc. 1. pr.* Accipitur autem 1. pro cessione bonorum, cum debitores qui suo vel fortunæ vitio decoxerunt, & sic amplius non sunt solvendo, aut ad infamiam, quæ ex venditione in bonorum possessionem missionem secuta, irrogatur, evitandam; aut ne in carcerem detrudi possint, bonis suis cedunt, de qua *t. t. D.*

de cess. bon. & C. qui bon. ced. poss. Nov. 135. 2. Pro legatorum nondum perceptorum ad heredes transmissione, de qua *tit. D. quand. dies leg.* ubi Cujac. Theoph. *Inst. de legat.* 3. Usurpatur pro juris alicujus translatione, ut in *l. 76. de solut. l. 22. & seq. C. mand. & simil.* 4. Pro actu, quo venditor rerum soli venditarum dominio & possessione coram judice emtori cedere oporteat, quem vocamus die Aufflassung. Landr. *lib. 1. art. 8.* & ibi Zobel. *lit. B. & C.* Heig. *1. q. 6. num. 35.* De aliis hujus vocabuli significatibus, ut & verbi *cedere*, quod variæ æque est significationis, videantur Lexicographi.

II. Hic Cessio accipitur pro juris alicujus translatione. Et describitur: quod sit translatio juris alicujus contra aliquem competentis.

In tertia igitur significatione *th. præced.* hoc in loco utemur vocabulo Cessionis, quæ alias concessio dicitur in *l. 16. de pecul.* item Præstatio. *l. 3. pro soc. l. 82. §. 5. de leg. 1.* Generis loco ponimus translationem *l. 11. C. de fidejuss.* quæ est, quando de uno ad alium quicquam transfertur. Sic trans-

translatio legati est, cum ab uno ad alium legatum transfertur, §. *1. Instit. de ademt. leg. & t. t. D. eod.* item translatio judicii seu litis, cum ab uno suscepum judicium in alium transfertur, *l. 25. l. 27. de procur. l. 17. §. 14. de injur.* Dicimus autem quod sit translatio juris. Nam cessio non est rerum corporalium quæ tradi proprie dicuntur, sed incorporalium, quæ traditionem non recipiunt. *l. 43. §. 1. de A. R. D.* Imo nominum seu actionum nec quædam quasi traditio est fingenda, arg. *l. 3. pr. junct. l. praced. pro soc.* ubi Gothofr. (mihi) *lit. S.* Reliqua descriptionis verba differentiam designant, cujusnam juris sit translatio, nempe contra aliquem competentis. Non enim omnis juris translatio statim est cessio, sed ejus quod contra aliquem competit, deque quo alium possumus convenire, i.e. nominum & actionum, uti haud obscure innuit. *d. l. 22. & seq. C. mand.* Sic cedere indistincte quævis jura nequimus, sed quæ nobis competunt, cedere enim non possumus, quæ non habemus, cum cessio semper arguat acquisitionem cedentis præcedentem. Alciat. *lib. 9. resp. 63. num. 9.*

 III. Un-

III. Unde constat plurimum differre hanc nominum cessionem à cessione bonorum.

Hæc cessio puta bonorum, omnium est rerum, corporalium & incorporalium, soli & mobilium, quæ omnia bonorum veniunt appellatione *l. 49. de V. S.* & ibi Gœd. illa vero duntaxat incorporalium. Hæc etsi non est è numero caussarum, ex quibus infamia quis notatur, *l. 11. C. ex quib. caus. infam.* est tamen quodammodo ignominiosa, & gravat opinionem bonis cedentis apud honestos viros, *Nov. 135.* & ibi Cujac. illa nullam prorsus importat ignominiam, omnique pudoris suggillatione caret. Cessione bonorum à debitoribus facta, non licet creditoribus jus dominii rei debitoris occupare ac detinere, sed vendere coguntur, & ita indemnitati suæ ex pretio quatenus possunt consulere debent, *l. 4. C. qui bon. ced. poss.* Rittersh. *p. 2. M. Nov. E. cap. 3. n. 18.* quod secus in nominum cessione. Cessionem bonorum Jus Saxon. non agnoscit Coler. *de proc. exec. p. 1. c. 9. n. 29.* cessionem nominum utique, sicut patet ex Edicto de cessionibus nominum & obligationum ab Elect: Sax. promulgato 1. d. Febr. ann. 1614.

IV. A

IV. A Traditione.

Traditio est rerum corporalium, mobilium & soli §. *40. Inst. de R.D.* cessio juris seu rerum incorporalium. In traditione requiritur, ut fiat possessionis translatio, traditio quippe cum sit translatio possessionis, Rittersh. *ad d.* §. *40.* secus in cessione. Nam incorporalia sicuti traditionem non recipiunt, *d. l. 43. de A. R. D.* ita nec possessionem. *l. 3. de A. vel A. P.* Per traditionem tradens transfert omne sibi competens jus *l. 20. de A. R. D.* cessio transfert aliquid & retinet aliquid : transfert actionem utilem in cessionarium, *l. 2. C. de O. & A. l. 5. l. 7. C. de her. vel act.* retinet actionem directam. *l. 4. C. quæ res pign. obl.* Sich. *in l. 3. C. de novat. n. 3.*

V. Item à Novatione.

In hac prioris debiti in aliam obligationem fit transfusio & translatio, h. e. ex præcedente caussa ita nova constituitur, ut prior perimatur *l. 1. de novat.* non vero in cessione, arg. *d. l. 4. C. quæ res pign.* Novatio fieri potest manente eadem persona, quæ antea obligata fuerat : cessio non nisi interventu novæ. Novatio fit stipulatione *l. 2. l. 29. de novat. l. ult. C. eod.* Don. *16. Com. 20.* Gœd. *de*

C. S. c.

C.S. c.5.num.90. & seqq. hodie tamen ſtipulatione ſublata fit etiam nudo pacto, Wel. *conſ. 31. num. 11.* Giph. *ad d. l. 3. C. de novat.* at in ceſſione nulla requiritur ſtipulatio, ſed nuda ſufficit voluntas & conſenſus. Donell. *15. Com. 43.* Illa expreſſe eſt facienda *l. fin. C. de novat.* hæc tacite quoque fieri poteſt.

VI. Delegatione.

Hæc fit ſtipulatione *l. 11. de novat.* quam non requiri in ceſſione diximus *th. prac.* Illa non fit niſi ſciente & conſentiente debitore *l. 1. & 6. C. eod.* iſta ignorante etiam vel invito *l. 1.* ubi Giph. *C. d. l.* Illa legitime perfecta non poteſt revocari: hæc poteſt, *l. 4. C. quæ res pign.* Giph. *ad d. l. 3. C. de novat.* & ibi Cujac. *impar.* In delegatione ſemper eſt novatio: ſed non in ceſſione. In illa, priori extincta obligatione, omne jus in creditorem transfertur, nihilque retinetur: in hac utilis ſaltem directa retenta, actio transfertur *l. ult. C. quand. fiſc. vel priv.* Sich. *in d. l. 3. C. de nov. n. 4.* Delegatus exceptione deleganti obſtanti adverſus eum, cui facta eſt delegatio, uti nequit *l. 12. de novat.* Ceſſus vero ſalvas pleraſque habet contra ceſſionarium, quas contra cedentem habuit Ant. Fab. *12. conj. 9.*

Hillig.

Hillig. *in not. ad Don. lib. 16. c. 20. lit. N.* nec solum si interveniente mandato cessionarius agat ex persona cedentis, sed etiam si ex propria, Ant. Fab. *12. conj. 11.*

VII. A Solutione.

Hac ita solvitur obligatio, ut nulla penitus remaneat, *pr. l. quib. mod. toll. obl. l. 107. de solut.* cessione obligatio non extingvitur, sed transfertur, *l. 36. l. 39. de fidejuss. l. 11. l. 21. C. eod.* Solutio fit à debitore ipso, vel ejus nomine ab alio: cessio à creditore. Solvi potest etiam invito, *l. 70. de solut. l. 9. C. eod.* Wesenb. *in parat. de solut. num. 4.* cedi vero nequit.

VIII. Et à Nominis in solutum Datione.

Differunt autem ut genus & species. Omnis nominis in solutum datio est cessio, sed non econtra. Nam non saltem ex caussa cedi potest onerosa, qualis est solutio, verum etiam lucrativa, puta donatione, legato.

IX. Distingvitur etiam à solutionis caussa mandato actionis.

Quamvis hæc vocabula, mandatum actio-

 nis,

nis, & cessio, sæpius confundantur à Dd. unumque pro alio accipiatur. Si tamen proprie & accurate loqui velimus, magnum inter illa est discrimen. Sich. *in l.3. C. de novat.* Differunt autem nomine, aliud enim est cedere, aliud mandare actiones: & is cui ceditur, dicitur cessionarius; cui mandatur actio, mandatarius sive procurator in rem suam. In actionis mandato, ad hoc ut mandans à debitore, adversus quem competentes sibi actiones alteri mandavit, debitam quantitatem exigere nequeat, requiritur *in l.3. C. de novat.* vel litis contestatio, vel denunciatio, vel partis ex debito perceptio, quo tamen casu jus mandatoris quoad residuum non esse extinctum opinatur Ant. Fab. *12. conj. 6.* in cessione sufficit ad inhibendam cedentis persecutionem, ut cessus de facta cessione à cessionario certior fiat *l. 4. C. quæ res pign.* In mandatarium nulla transit actio neque directa neque utilis, sed tantum habet exercitium actionis directæ domino competentis, seu contentionem ex persona alterius bona fide sumit *l.9. C. de procur.* in cessionarium transit actio utilis ex rescripto D. Pii *l. 16. de pact.* Mandatæ periculo sunt mandantis, arg. *l.3. C. de novat.* dummodo procuratoris in rem suam constituti nulla culpa argui queat *l. 49. in fin.*

pr. sol.

pr. sol. matr. Ant. Fab. *12. conj. 7.* cessæ periculo cessionarii *l. 96. §. 2. de solut.* Ex quibus constat eorum sine confusione unum pro altero usurpari haud posse. Differre autem puto, ut speciem à specie, quæ sub mandare actiones tanquam suo genere comprehendantur. Mandare enim actiones in Jure nostro sumitur & generaliter & specialiter; illo cessionem quoque comprehendit, imo sæpe pro ea usurpatur, ut in *l. 1. l. 14. l. 21. C. de fidejuss. l. 2. C. de donat. l. 53. de pecul.* isto cessioni opponitur, & ita reperitur in *l. 49. sol. matr. l. ult. C. quand. fisc. l. 3. C. de novat.* Hinc patet errare illos, qui ista voce vel plane confundunt; vel cedere actiones genus, mandare speciem constituunt.

X. Liquet inde L. 3. C. de novat. non de cessa aut in solutum data, sed solutionis caussa mandata actione accipiendam esse.

Donellus licet *15. Comm. 43.* Sich. & Giph. *ad d. l. 3.* priorem illius L. partem de cessione actionis, seu nomine in solutum dato accipiant: de actione tamen potius solutionis caussa adversus debitorem mandata, quam cessa accipienda est.

Evincunt hoc 1. ipsa legis verba ibi: quamvis creditori tuo adversus eum solutionis caussa mandaveris actiones. Jam vero differunt mandare solutionis caussa contra debitores actiones, & cedere seu in solutum dare, ut *th. praeced.* Deinde ne cedens cessionarium praevenire queat, requiritur in hac *l. 3.* vel litis cum procuratore in rem suam contestatio, vel denunciatio vel partis debiti perceptio, quae in cessione haud necessaria. Tertio requirit hoc casuum *in d. l. 3.* propositorum oppositio; in cujus ultima parte, quae loquitur de delegatione debitoris, adstruit Imp. periculum actionis delegatae ad delegantem non pertinere: Exinde dicendum videtur priore legis casu secus rem se habere, ibique periculum mandantis esse, quod sane de cedente minime dicendum.

XI. Cessio est vel voluntaria vel necessaria.

Illa est, quae nullo fit jure cogente, puta: cum venditur actio aut donatur, aut in solutum datur, de qua specie agitur in *l. 6.* C. *d. O. & A. l. ult.* C. *quand. fisc. d. l. 22. & seq.* C. *mand. l. 3. l. 5. l. 7. cum seq.* C. *de her. vel act.* ista quae fit à cedente necessitate juris coacto: qualis est, quando creditor

ditor fidejussori solventi sua jura cedit contra principalem aut confidejussores competentia, ut in *l. 13. l. 36. l. 39. l. 41. de fidejuss. l. 11. l. 21. Cod. eod. l. 76. de solut.* item pupillus tutori in solidum condemnato *l. 42. de adm. tut.* ubi Wesenb. *in parat. n. 9. V. jung. th. 14.*

XII. Expressa vel Tacita.

In illa expressus consensus & voluntas contrahentium cedentis & cessionarii intervenit, qui actu quodam externo declaratur, puta: verbis, traditione instrumenti &c. In hac nullus ejusmodi actus accedit nec consensus verbis expressis adhibetur, tacite tamen intervenisse fingitur; ut cum debitor. bonis cedens ejurat bonorum copiam, i. e. dat jusjurandum, se non esse solvendo. Quo casu creditores non solum bona debitoris conquirere & vindicare possunt, sed etiam debitores sui debitoris convenire. *Nov. 135. §. jusjurandum.*

XIII. Est etiam vel Conventionalis vel Judicialis.

Hæc fit coram judice & in judicii loco, ista extra judicium. Nihil autem de Jure interest Ci-

vili ſive ceſſio fiat in judicio, ſive extra judicium, ſemper enim valida eſt, litium modo non foveat redemtionem. At Jus Elect. Saxon. hac repudiata illam ſolum agnoſcit, uti videre eſt ex Edicto de *an. 1614.* §. Wie dann auch. & quidem nullo obſervato diſcrimine, actio ſive ad rem feudalem competat, ſive allodialem: mobilem ſive ſoli: quantitas debita, ſive major ſit ſive minor. *d.* §. Wie dann auch. *cum 2. ſeqq.* Exceptis mercatoribus, quos inter conventionalis etiam valida habetur, & quidem ob commerciorum favorem, ſi mercatori tamen cedat æque mercator, ſecus vero ſi mercator non mercatori, aut econtra, quibus caſibus conventionalis irrita quoque eſt, *dict. Ed.* §. Und ſolches. Reſtringitur autem illud ad ceſſionem voluntariam. Nam neceſſaria in judicio ut fiat, neceſſe non eſt, cum fraus & dolus in iis intervenire non præſumatur *d.* §. Und ſolches. Quibus exceptis alias adeo de Jure Elect. Saxon. extrajudicialis ſeu conventionalis ceſſio non valet, ut etiam coram Notario & duobus aut tribus teſtibus facta invalida ſit. *d. Ed.* §. Und ob wir uns.

XIV. Cedere poſſunt omnes, qui & alienare.

Dictum

Dictum supra cessionem esse vel voluntariam vel necessariam. Proinde videndum, quinam cedere posfint vel cogantur. Cedere possunt omnes qui & alienare. Est enim cessio juris alicujus in alium translatio, proinde & alienatio. Nam qui aliquid ita transfert, ut sibi absit, alteri vero adsit, alienat *l. 69. de V. S. l. 1. C. de fund. dot.* Ideo cui administratio suarum rerum libera, vel alienatio est adempta, nec cedere potest, utpote pupillus, cui nullius rei alienatio concessa est sine tutoris autoritate *§. 2. I. de aut. tut. l. 11. de A. R. D.* etsi cessio est necessaria, nec enim tunc tutore non autore cedere debet, *l. 37. §. 1. ad SCt. Trebell.* Idem juris est in furioso *l. 1. §. 1. de O. & A. l. 5. de R. J.* prodigo argum. *l. 1. de cur. fur. l. 6. de V. O. l. 40. de R. J.* minore curatorem habente, arg. *l. 3. C. de in int. rest.* Cedere item nequit tutor sine pupillo, nisi infans sit *d. l. 37. §. 1.* At quibus libera disponendi de bonis suis facultas competit, cedere quoque possunt, adeo ut & cessionarius actionem sibi cessam, quin alteri cedat, nil obstet Donell. *d. lib. 15. cap. 43.* Filio igitur familias cedendi potestas competit respectu honorum castrensium, vel quasi arg. *l. 7. C. de bon. quæ lib.* In his enim vice patrumfam. funguntur *l. 2. ad SC. Maced.* ut & adventitiorum, de

quibus

quibus plenariam habet dispositionem, arg. *l. 8. §. 5. C. de bon. quæ lib. Nov. 117. c. 1.* Reus quoque criminis ex oneroso titulo & caussa cedere non prohibetur, arg. *l. 42. de solut.* excepto reo majestatis, *l. ult. C. ad L. Jul. Majest.* non vero ex lucrativo. Nam post contractum crimen capitale donationes factæ secuta condemnatione non valent *l. 15. de donat.* Banniti tamen in contumaciam ante condemnationem etiam lucrativa caussa factam cessionem non revocari docet Alciat. *8. resp. 24. n. 8.* cum ex contumacia oriatur saltem ficta confessio, quæ præjudicat ipsi contumaci tantum non aliis habentibus caussam antiquiorem. Coguntur cedere: creditor fidejussori solventi omnes actiones, tam contra principalem quam confidejussores, *l. 17. l. 36. de fidej. l. 2. l. 11. l. 21. C. eod.* H. Pist. *p. 1. q. 48. n. 1. & 10.* licet non sint solvendo. Zang. *de except. p. 2. c. 16. n. 29.* Si vero tempore acceptæ pecuniæ à creditore nomen non cedatur, potest adversus eum præscriptis verbis agere, si pactum præcesserit Don. *ad l. 11. C. de fidejuss. n. 7. & 8.* Coler. *de process. exec. p. 1. c. 10. num. 367. & seqq.* nullo autem interveniente, ex emto ut quas habeat actiones præstet. Non enim in solutum accepit creditor, sed quodammodo nomen creditoris vendidit

didit

didit *d. l. 36. de fidejuss.* Col. *d. l. n. 375.* Hering. *de fidejuss. c. 28. n. 34. & seqq.* & ita in Dicasterio Wittenbergensi sæpius pronunciatum esse asserit Zang. *d. l. n. 32.* Imo licet specialiter exceptioni cedendarum à fidejussore renunciatum sit, nihilominus salvam ei esse exemto actionem tradit Heig. *p. 1. q. 38.* idque summa niti æquitate dicit Zang. *d. loc. n. 43.* ubi & *n. 34.* creditorem fidejussori solventi cedere nolentem, id quod interest præstare teneri, asserit. Ceditur autem actio saltem quoad confidejussorum partes, non eam etiam portionem pro qua ipsemet propria obligatione obstrictus fuerat. Nam ejus quod quis proprium quodammodo debitum agnoscendo solvit, actio adversus alium cedenda non est. H. Pist. *d. loc. num. 6. & seq.* Tenetur tamen fidejussor, si beneficio divisionis renunciaverit, solidum restantis solvere, quod secus, si nulla ejus beneficii renunciatio facta. Col. *d. l. p. 2. c. 2. n. 16. & seq.* Heig. *p. 1. q. 38. n. 5.* H. Pist. *d. l. n. 15. & seqq.* vid. Hering. *d. l. c. 27. p. 3. n. 28. & seqq.* Item pupillus tutori condemnato in solidum & solvere parato *l. 42. de adm. tut.* & ibi Wes. *in parat. n. 9. l. 1. §. 13. & §. 18. de tut. & rat. distr.* Creditor solvendi correo *l. 76. l. 95. §. 10. de solut.* Gœdd. *de C. S. c. 9. n. 127. & seqq.* A. Fab. *12. conj. 13.* aut mandatori,

datori. *l. 28. mand.* Et his cessio vel in ipsa soluti-one, vel præcedente saltem solutionis tempore pacto, fieri debet, A. Fab. *in Cod. lib. 8. tit. 26. def. 14.* alias si post intervallum actio cessa sit, nihil ea cessione actum, cum nulla actio superfuerit *d. l. 76. de solut.* Zang. *d. l. n. 35.* Quid si nulla præmissa cessione aut pacto solverit, pro virili nihilosecius cum correis utiliter agere poterit *l. 2. C. de duob. reis l. 1. §. 13. l. 20. de tut. & rat. distr.* Giph. *ad d. l. 2.* Gœd. *d. l. n. 135.* A. Fab. *in Cod. d. l. def. 1.* Heres legatario, quando videlicet testator non legavit actionem, quo casu utilis transfertur sine cessione *l. 18. C. de leg.* Trentacinq. *libr. 3. de solut. resol. 13.* sed ipsam rem debitam, tunc enim sine cessione utilem actionem non habet *l. 39. §. 3. de leg. 1. l. 13. §. 1. de leg. 2.*

XV. Non tamen sufficit consensus cedentis, sed etiam cessionarii accedere debet. Invito enim non ceditur.

Idque procedit sive ex titulo oneroso, sive lucrativo cedatur. Nam sicuti creditori aliud pro alio invito solvi nequit *l. 2. §. 1. de R. C. l. 9. §. 3. de pign.*

pign. act. nec debitor potest cogere creditorem, ut nomen debitoris sui in solutum accipiat *l. 16. C. de solut.* excepto casu *Nov. 4. c. ult.* & inde desumtæ *Auth. hoc nisi debitor C. d. t.* de quo vid. C. Rittersh. *p. 3. Nov. c. 3. n. 4. & seqq.* at consentienti recte aliud pro alio solvitur *pr. I. quib. mod. toll. obl. l. 46. pr. de sol. l. 17. C. eod.* ita nec invito beneficium datur *l. 69. l. 156. in fin. de R. J.* nec liberalitas nolenti acquiritur *l. 19. §. 2. de donat.* Non igitur potest cessio actionis fieri absenti, cum in ea consensus cessionarii requiratur, ut vult Rol. à Valle *vol. 1. cons. 19. n. 18.* Debitoris vero cessi consensus minime est necessarius, quia cessio nominis non exigit operam debitoris, cum res solum inter cedentem & cessionarium geratur, nec novam obligationem debitor suscipiat, sed actio vetus cedatur, quæ fuit cedentis. Proinde & ignorante vel invito etiam debitore cessio facta valet, *l. 1. C. de novat. l. 3. C. de her. vel act. vend. l. 2. C. de donat.* Don. 15. *Comm. 43.* VVes. *in paratit. de novat. in fin.* Nil autem refert, sive cessio conventionalis puta, interdiu fiat, sive noctu. Nullum enim tempus sanæ mentis majoris 25. annis consensum repudiat *l. 11. in fin. C. de transact.* At judicialis interdiu fieri debet, cum magistratus vespertinis temporibus

aut noctu in publico esse, aut jus dicere inconveniens sit *l. 2. §. 31. de O. I. Nov. 82. c. 3. c. 24. de off. & pot. deleg.*

XVI. Cedi potest cuicunque recte solvitur aut donatur.

Cui enim recte solvitur, eidem volenti nomen quoque in solutum datur: & cui recte non solvitur eidem nec ceditur. Cedi igitur nequit furioso, arg. *l. 5. de Reg. Jur.* pupillo sine tutoris, *L. 15. de solut.* adolescenti sine curatoris autoritate, *l. 1. C. si adv. sol.* & praecedente sententia judicis, *l. 25. C. de admin. tut.* Porro cui recte donatur eidem quoque ex lucrativo titulo ceditur, & econtra ubi donatio est prohibita, ibi & cessio, arg. *l. 11. C. de donat.* Proinde non valebit cessio à patre facta filio in sacris familiae constituto, *l. 1. §. 1. pro donat. d. l. 11. l. 17. C. de donat. l. 25. C. de donat. int. vir.* nemo enim ipse sibi potest donare. Gail. *2. obs. 38. V.* A. Fab. *40. er. 3.* item facta inter conjuges, inter quos constante matrimonio simplex donatio prohibita est. *l. 1. & t. t. D. & C. de don. inter vir.* Morte tamen donatoris confirmatur. *l. 24. & seq. C. d. t. c. ult. extr. eod.* Idque adeo verum, ut jure novissimo valeat donatio etiamsi maritus rem uxori donatam pignori opposuerit, vel hypothecae

thecæ suppósuerit *Nov. 162. c. 1.* Rittershus. *p. 5. Novell. c. 12. n. 6.* quod secus erat de jure. Cod. *l. 12. C. de donat. int. vir.* Non vero jurejurando jure Civil. *l. 5. C. de LL.* sed num contrarium obtineat de jure Can. V. Rosbach. *comp. jur. civ. & can. lib. 2. c. 3.* Rittershus. *diff. jur. civ. & can. lib. 3. c. 17.* Porro quamvis de jure Civili indistincte laicis & clericis cedi queat, de jure tamen Can. cessio facta à laico clerico irrita est *c. fin. de al. jud. mut.* Rol. à Valle *vol 2. cons. 38. n. 21. & 27.* Rittersh. *d. l. lib. 7. cap. 5.* Nam cessio facta in clericum dicitur facta in potentiorem *gl. in d. c. fin.* Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 558. n. 20.* ubi *n. seq.* comm. Dd. tenere tradit, id non in quovis clerico, sed in Episcopis & clericis jurisdictionem habentibus, qui potentiores dicantur, procedere: quod generalitati *d. c. fin.* congruum haud videtur.

XVII. Possunt regulariter cedi quævis actiones personales & reales; civiles & criminales.

Dictum de personis, sequitur de rebus cessibilibus; quæ sunt actiones sive personales sive reales. Omnium enim actionum, qua sub vocula in rem quoque actiones veniunt *l. 178. §. 2. de V. S.*

 l. ult.

l. ult. C. de her. vel act. venditio est & translatio *l. 3. l. 7. l. 8. l. ult. C. eod.* Tiraq. *de retr. lign. §. 26. gl. 3. in verb. du conventionel. n. 2.* Don. *d. c. 43. lib. 15.* Decis. Rotæ *tit. de al. jud. mut. decis. 2. in nov.* sive ex contractu vel quasi delicto vel quasi oriantur; pura sive conditionalis, etiamsi in spe duntaxat consistit. Cedi idcirco potest spes *l. 3. C. de donat.* Br. *in l. ult. de admin. tut.* nomen debitoris *l. 3. l. 8. de her. vel act. l. 1. C. de novat. l. 2. C. de don.* quamvis debitum conditionale, *l. 17. l. 19. de her. vel act.* aut executionem habeat paratam, Tiraq. *d. l. n. 15.* ubi sicuti ad petitionem creditoris executio mandatur, ita & ad cessionarii instantiam. Moll. *2. sem. 20. n. 1.* ut tamen constet prius de cessione. Boër. *decis. 10. n. 1. & 2.* condictio furtiva, *l. 38. §. 1. de solut. l. 80. §. 5. de furt.* actio furti, *l. 14. pr. eod.* restitutio in integrum, *l. 24. pr. de minor. l. 25. de admin. tut.* Tiraq. *d. loc. num. 13.* retractus conventionalis, Tiraqu. *ibid. n. 42.* nisi pactum intervenerit, ne liceat venditori jus retrahendi alteri cedere: hereditas *t. t. D. & C. de her. vel act. vend.* hypotheca & tam rerum allodialium quam feudalium. In harum tamen hypothecæ cessione de Jure Elect. Saxon. novus domini consensus adhiberi debet. *d. Ed. de ann.* 1614. §. Und obwol. Cessa autem actione

perso-

personali intelligitur etiam cessa hypothecaria *l. 6.* ubi Dd. *C. de O. & A.* quia est ad personalem accessoria. *l. 5. de pign* Boër. *decis. 325. n. 1.* Item interdictum, puta: retinendæ possessionis, Fab. *in §. retinendæ I. de interd.* Tiraqu. *d. l. n. 17.* recuperandæ, seu unde vi, *l. 16. §. 4. de her. pet.* remedium can. redintegranda. *3. qu. 1.* Ripa *in c. sæpe de restit. spol.* Socin. *in l. 15. de acqu. poss.* Sed verius illud non esse novum, sed vetus unde vi, idque in *d. c. redintegranda.* intelligendum esse docet Giph. *in proleg. lib. 8. Cod.*

XVIII. Cessibiles non sunt, quæcunque aut alienari nequeunt, aut transmitti.

Quamvis suarum quisque rerum sit moderator atque arbiter *l. 21. C. mand.* & proinde eas alienare, ac in alios transferre queat. Eatenus tamen id obtinet, quatenus juris ordo legumque præcepta non contemnuntur aut negliguntur Bl. ad *l. 2. in 2. lect. de his qui sunt sui.* Quarum ergo actionum alienatio vel à Legibus est interdicta, vel alienationis prohibitio Legum præsidio adjuta, earum cessio invalida est. Sic quoque non sunt cessibiles, quæ

quæ non ſunt transmiſſibiles, *l. 42.* ubi Br. Dyn. Goth. *de admin. tut.* Tiraq. *de retr. lign.* §. *26. gl.* 1. *num. 47.* quamvis è diverſo non omne quod transmiſſibile eſt ad heredes, continuo ſit ceſſibile. Alex. & Jaſon. *in l. 76. de V. O.* Nam actiones directæ transmittuntur ad heredes, cedi tamen nequeunt. Sic fideicommiſſum univerſale licet ad fideicommiſſarii heredes transmittatur, *l. 16.* §. *9. ad SC. Trebell.* tamen non eſt ceſſibile. *l. 59.* §. 1. *de jur. dotium.* Non igitur cedi poſſunt actiones, quæ non ſunt in rerum natura, arg. §. 1. *Inſt. de inut. ſtip. l. 57. cum ſeq. de contr. emt. l. 69. de V. O.* ſi nec eſſe poſſunt: Actiones item in judicium deductæ. *l. 2. cum ſeq.* C. *de litig.* Nam actio litigioſa, ſicut & alia quævis res, nullo titulo alienari poteſt *l. ult. d. tit.* Fit autem litigioſa per citationem. *Nov.* 112. *c.* 1. *Auth. litigioſa* C. *eod.* Intereſt tamen inter in ultima voluntate factam ceſſionem & quæ fit contractu: illo caſu æſtimatio litis præſtanda eſt, quibus actiones vel res litigioſæ relictæ ſunt, *l.* 3. C. *d. t. de litig.* iſto ceſſio eſt nulla, & ſi facta potentiori, nec cedens agere poteſt, *t. t.* C. *ne lic. pot.* Moll. *5. ſem. diff. 68.* jus ſeu privilegium quod vocant prælationis, quod mulier in dote habet, quo creditoribus ferme omnibus hypothecariis quoque, etiam expreſſam an-

terio-

teriorem habentibus, præfertur, *l. 12. C. qui pot. l. 29. cum seq. C. de jur. dot. Nov. 97. c. 3. Nov. 109. c. 1.* Schneid. *in §. fuerat. Inst. de act. n. 70.* jus optionis seu electionis consvetudine Sax. viduæ, competens, Moll. *1. sem. 24.* actiones populares, *l. pen. de popul. act.* retractus proximitatis, Luc. de Penn. *in l. ult. in verb. permutationes. C. de præd. curial. lib. 12.* Tiraqu. *d. gl. 1. n. 1.* Cor. *3. misc. c. 3. n. 7. & seq.* nisi ob famis necessitatem, si non inveniatur non extraneus ut existimat Tiraqu. *d. l. n. 16. & seqq.* Idem juris putamus in jure, quod mores Saxon. inter rusticos præsertim filio natu minori tribuunt, vulgo Kür-Gerechtigkeit.

XIX. Iustus præterea in cessione titulus & caussa subesse debet.

In omni sicuti acquisitione justus titulus subesse debet, ita & in cessione, ut utiles transferantur actiones justum titulum intervenire necesse est. Don. *15. comm. 43.* Giph. *ad d. l. 22. & seq. C. mand.* cumque cessionarius docere tenetur Moll. *2. sem. 2. n. 1.* Spec. *2. p. 1. tit. de cess. act. §. 1. n. 1. & seq.* Berlich. *p. 1. concl. 55. n. 45.* Sine justa vero caussa cessio non valet, Br. *in d. l. 22. C. mand.* nec superveniens titulus post cessionem factam quicquam

D prodest,

prodest, Bald. *in l. 2. col. 2. v. 3.* C. *ne lic. pot.* Moll. *d. l. n. 2.* Berlich. *d. l. n. 46.* Justus autem titulus est, puta: soluti, quando debitor in solutum sui debitoris nomen creditori suo dat, *l. 6.* C. *de obl. & act. l. ult.* C. *quand. fisc. l. 22.* C. *mand.* Legati, *d. l. 22. l. 18.* C. *de legat. l. 39. §. 3. de leg. 1.* Pignoris, *l. 4.* C. *quæ res pign.* Dotis, *l. 2.* C. *de O. & A. l. 41. §. 3. de jur. dot. & arg. l. 49. sol. matr.* Donati, *l. 2. l. 33.* C. *de donat.* Debet autem donatio esse pura, i. e. actionem non debere cedi partim gratis, partim pretio, seu partim titulo emtionis data parte pretii, partim titulo donationis coloratæ. *l. 23.* C. *mand.* Emt-venditi, *d. l. 22. & seq. t. t.* C. *de her. vel act.* Quanquam Interpp. existimant actionum venditionem regulariter prohibitam, sicque venditionis caussam exceptam esse, quos sequitur Don. *d. c. 43. ob d. l. 22. & seq.* Minus tamen id juri ejusque rationi consentaneum, & proinde justam cessionis caussam emt-venditionem asserimus per *l. 4. l. 6. l. 14. de her. vel act. l. 3. l. 7. cum seq.* C. *eod. l. 33.* C. *de donat. & arg. d. l. 22.* C. *mand.*

XX. In L. igitur 22. C. mand. non omnes actionum venditiones

pro-

prohibitæ ſunt, ſed ea duntaxat, quæ redemtiones litium fovent.

De ſententia *l.22.* C. *mand.* Interpp. non conveniunt. Sich. *in d.l.22.n.3.* accipit illam de ceſſione ſimulata, eamque ibid. prohibitam opinatur. Verum in tota lege ne unum argumentum de ſimulatione. Donell. *d.c.43.* omnem actionum venditionem per illam conſtitutionem prohibitam arbitratur, eo quod ceſſiones actionum quæ fiunt titulo emt-venditionis ſint quædam redemtiones litium, quas odioſas eſſe conſtet. Sed nec hoc placet. Nam quanquam redemtiones litium, quas Quintil. pactiones vocat piraticas, *lib.12.cap.7. in fin.* odioſæ ſunt, haud tamen omnes actionum venditiones eſſe litium redemtiones aſſerendum. Quocirca prohibitionem *d.l.22.* non de quavis actionum venditione, ſed quæ in litium cadit redemtionem, qua redemtor id laborat, ut in ſe lis transferatur, accipiendam putamus, excluſis actionibus & obligationibus indubitatis cum A Fab. *12. conj. 12.* Giph. *ad d.l.22. in fin.* Idque ipſa in lege innuitur, quando Imp. dicit cum certum ſit pro indubitatis obligationibus &c. Item: nec enim dubium eſt redemtores litium alienarum videri eos eſſe,

qui tales &c. quo vocabulo qualitatem innuente non omnes generaliter actionum venditiones includuntur, sed quibus qualitas illa inest, quam in praeced. indubitatis obligationibus opposuit. Eadem extat prohibitio in *Nov. 17. c. 13.* ubi Imperator praecipit: ne sinant Praesides Provinciae, ut alius aliorum vitas in se suscipiat, i. e. ne fiant redemtiones litium. Rittersh. *9. Novell. c. 8. num. 5.* Ratio prohibitionis non est exiguitas pretii, alias omnium actionum venditio etiam indubitatarum esset inhibita, sed redemtio litium, quae est contra bonos mores, *l. 15.* C. *de procur.* Don. *ad l. 22. num. 11.* Ita tamen in hac lege redemtiones istae alterius vexandi gratia extortae restringuntur, non ut omnino improbentur, sed ut eatenus probentur, quatenus abest emtori. *d. l. 22. cum seq.* Excipiuntur autem ibidem quatuor casus, quibus cessio actionis etiam non indubitatae sub titulo venditionis facta in solidum valet. Prima exceptio fit caussa divisionis actionum hereditariarum inter coheredes, cujusmodi cessio interdum necessaria est, ut uni coheredum aliquod nomen in solidum adjudicetur. *l. 3. fam. ercisc.* 2. Caussa solutionis, si debitor creditori suo nomen sive actionem det in solutum. *d. l. 6.* C. *de O. & A. l. ult.* C. *quand. fisc.* 3. Si rem alienam

enam possidenti pro illius rei possessionis tuitionē nomen aliquod cedatur. 4. Valet inter plures ejusdem debiti legatarios aut hereditatis fideicommissarios.

XXI. Cessi nominis periculum indistincte ad cessionarium, dummodo cedens dolo aut culpa careat, pertinet.

L. 96. §. 1. de solut. A. Fab. *12. conj. 7.* quod secus est in actionibus solutionis caussa mandatis, quo casu non periculo sunt mandatarii, sed mandantis, idque haud obscure innuitur in *l.* 3. C. *de novat.* Excipitur autem maritus cui dotis caussa nomen cessum est, ad quem periculum non pertinet, sed ad cedentem sive mulierem. *l. 41. §. 3. de jur. dot.* Cacher. *dec. 62. n. 12.* Sicut enim maritum cum damno uxoris lucrari bono & æquo non convenit, ita nec mulier per mariti damnum lucrum sentire debet *l. 6. §. ult. eod.* Indemnis igitur maritus est præstandus, & sicut inde nullum sentit lucrum, ita quoque nec damno afficiendus *l. 16. eod.* Idem obtinet, si uxor marito actionem dotis saltem caussa mandaverit. Nam & hoc casu maritus, si

sine dolo & culpa pecuniam exigere nequiverit, dos autem petatur, non est compellendus illam summam, quæ in instrumento continetur refundere, *l. 49. sol. matr.* quam *l.* A. Fab. *12. conject. 8.* male accipit de nominis cessione.

XXII. Effectus hujus actionum cessionis est, ut cessionarius suo nomine utiliter agere queat.

Cessa actione quamvis cedens directam retineat *l. 3. C. mand.* uti & solutionis caussa mandans, *l. 3. C. de novat.* directæ enim actiones transferri nequeunt; Utilis tamen cessionario sua persona suoquę nomine competit *l. 16. de pact. l. 2. C. de O. & A. d. l. ult. C. quand. fisc. l. 5. l. 7. cum seqq. C. de her. vel act.* quam vel instituere, sicque debitum exigere, vel remittere etiam pacto, sicque debitorem cessum liberare *l. 16. pr. de pact.* Potest autem cessionarius utilibus agens nihil amplius petere, quam quod reipsa debetur, privilegio vero personæ cedentis ullo uti nequit. Quod aliter se habet in eo qui experitur mandatis actionibus, is enim eo jure utitur, quo is cujus persona fungitur, *l. 5. C. de her. vel act.* Don. *d. c. 43.* ubi exemplo declarat. Nec

tamen

tamen nocet cessionario cedentis confessio, si videlicet post cessionem factam confiteatur nullum jus habere in debitore cesso, secundum Rol. à Valle *vol. 2. consf. 85. n. 9.* Non vero cessionario, mandato non interveniente, competit exercitium directæ ex persona cedentis *d. l. ult. C. quand. fisc.* ibi: non aliter nisi mandatis actionibus ex persona sui debitoris &c. *l. 18. C. de legat.* ibi: actionibus non mandatis, directas quidem legatarius habere non potest.

XXIII. Exceptiones tamen in rem, cedenti obstantes, obstant similiter cessionario.

Transfertur enim jus ita, uti cedens habuit, proinde & cum suo onere. Nam nemo plus juris in alium transferre potest quam ipse haberet *l. 54. de R. J.* Omnes igitur in rem exceptiones, quibus cedens repelli potuit, objici quoque possunt cessionario, ut exceptio rei judicatæ, jurisjurandi, &c. etiam compensationis A. Fab. *12. conj. 9.* Tessaur. *decis. 22.* In personam vero exceptio tum demum ei obstat, si caussam habeat lucrativam, non si onerosam. *l. 14. §. 28. & seq. §. 31. l. 5. §. 5. de dol. mal.*

mal. except. Hæc procedunt si cessionarius utilibus actionibus jus suum persequatur, secus si mandato interveniente in rem suam procurator constitutus ex mandantis persona experiatur, ubi non saltem in rem exceptiones ei obstabunt, sed etiam in personam. Nam qui ex alterius agit persona, easdem pati exceptiones necesse habet. Unde Banni exceptio, qua alias cessionarius utilibus actionibus jus sibi cessum persequens, lucrativam licet habeat caussam, repelli nequit, si ex cedentis persona agat, eidem nocet. Br. *add.* §. *28.*

XXIV. Potest & cedens ipse re adhuc integra adversus debitorem cessum experiri, aut cum eo transigere.

Nam non omnis simul actio ab eo, qui cedit etiam discedit, sed in alium nomina transferens, vel venditione, donatione, aut alia quavis de caussa post illam translationem ceu cessionem directas actiones nihilominus retinet, *l. 3. C. mand.* ut & mandans. *l. 3. C. de novat.* Unde etiam adversus debitorem cessum re integra experiri, sicque debitum exigere potest, *d. l. 3. C. mand. arg. l. 16. pr. de pact.*

pact. cum reo item cessionem ignorante transigere aut pacisci. *l. ult. de transact.* Definit autem in cessione res integra esse, si novus creditor cessum factæ cessionis certioret. *l. 4. C. quæ res pign.* Non autem sufficit etsi debitor cessionem aliunde cognoverit, cum expresse requiratur in *d. l. 4.* quod cessus à cessionario ipso certiorandus sit A. Fab. *d. lib. 12. c. 3.* Cæterum uterque ubi experiatur & cessionarius & cedens, illum præferendum autumo. Utiles enim actiones habens rite eas intendit, quamvis dominus litem simul moveat *l. 55. de procur.* Sich. *ad l. 3. C. de novat.* Don. *d. cap. 43.* Curt. *3. conj. 3.*

XXV. Cessio denique non præsumitur, sed à cessionario probanda est.

Quæ enim facti sunt, qualis cessio, non præsumuntur, nisi probentur, *l. 10. C. de non-num. pec. l. 16. C. de probat.* & quodlibet accidens in eodem quo semel fuit, statu præsumitur persistere, nisi contra probetur mutatio. *l. 3. l. 22. de probat.* Probare autem tenetur vel per instrumentum cessionis. Nam non sufficit, si quis adversus debitorem

experiatur, ut instrumentum saltem cautionis edat, idque sibi à creditore cessum traditumque dicat Moll. *2. sem. 20. n. 3.* Imo tenetur cessionarius cessionis instrumentum ante litem edere contestatam, ne processus reddatur nullus, uti volunt Dec. *cons. 303. col. 1. & cons. 536. col. 1.* Cacher. *decis. 58. n. 3.* Vel per testes arg. *l. 15. C. de fid. instrum.* eadem enim instrumentorum & testium est autoritas. Qui vero testes esse possint vel non. Vid. Wes. *in parat. de testib.* Don. *25. com. 9. & 3. seqq.* Si autem semiplene duntaxat cessio probata ex traditis Dd. juramentum in supplementum deferri poterit. Rectius vero hoc juramentum utpote jure civili incognitum refellunt Duar. *2. disp. 33.* Don. *24. comm. 19.* A Fab. *19 er. 1.* Fidejussorem tamen ad probandam cessionem adeo præcise non cogendum esse æquius videtur, sed hoc casu tabulas cautionis vel debiti sufficere, sicque pro eo præsumi, donec contrarium ab adversa parte probetur. Nam & alias contra debitorem ipsum agere potest. Coronidis loco de cedente tenendum, cum in caussa principali cessionarii, altera parte invita testem esse nequire, arg. *l. 10. de testib. l. 10. C. eod.* Mascard. *de probat. vol. 3. concl. 1357. num. 18. & 22.* etiamsi de evictione non teneatur, ut tradunt Bald. & Salic.

ſic. in *dict. L. 10. C. de teſtib.* imo nec ejus filii. Specul. *tit. de teſtib. §. 1.*



COROLLARIA.

I. Vicarii Imperii Electores Palatinus & Saxo de feudis regalibus, Fahnen-Lehen, cognoſcere & judicare poſſunt.

II. Civitates Imperiales liberæ habent jura territorialia.

III. Juramentum retrahitur, quoties ex ſola inſtrumenti editione apertiſſime liquet de perjurio.

IV. Judex ordinarius de Jure Civili recuſari nequit.

V. Feudum absque conſenſu domini hypothecari nequit.

VI. Ususfructus feudi patri regulariter acquiritur.

Folgende zu vorstehender Materie sich schikenden Dissertationes, welche ebenfalls in der Hellerischen Buchdruckerey zu bekommen sind, hat man noch hieher zu setzen nöthig gehalten.

Bergeri de cessione privilegii fiscalis.

Hoffmanni de cessionibus judicialibus & extrajudicialibus earumque differentiis.

Heineccii de mercatorum, qui foro cesserunt, rationibus & codicibus.

Joachimi de cessione beneficii competentiæ & alimentorum exinde provenientium.

Mollenbecii de abusu cessionis bonorum.

Wernheri de invaliditate dispositionis inter vivos uxoris, circa res geradicas, neglecto mariti consensu.

Schrœteri de impossibili in contractibus.

Merckelii de concursu ac prælatione creditor.

Sommeri de fidejussoribus beneficio ordinis non gaudentibus.

Struvii de simulatis contractibus.

Strauchii de confusione obligationum.

SOLI DEO GLORIA.